

ARTICULUS IV.

De Canonica auctoritate Epistolae ad Hebraeos.

5 Vid. Theodor. Præfat. in Ep. ad Hebræos. 1 Epiphani. hæref. 42. Hieronym. Proœm. in Ep. ad Titum. u Clem. Alex. apud Euseb. l. 6. c. 14. hist. Eccl. x Origen. apud Euseb. l. 6. c. 25. hist. Eccl. y Euseb. l. 3. c. 32. hist. Eccl. z Apud Theodoret. l. 1. c. 3. hist. Eccl. a Athanas. de Nicæn. Decret. de Synod. Epist. ad Serapion. &c. b Cyrill. Jerosol. Cathech. 4. c Epiphani. hæref. 42. & 59. d Basil. Constit. Mon. c. 22. & alibi. e Nazianz. carn. 34. & orat. 2. f Nyssen. de hypost. l. 3. p. 35. g Amphilo. apud Græc. Naz. car. 125. h Greg. Thaum. mat. Exposit. fidei altera. i Tit. Bost. comm. in Luc. 23. k Ephr. Ser. de virtut. & vit. p. 51. de torment. infern. p. 204. & alibi. l Theodoret. Præfat. in Ep. ad Hebr. m Hier. Ep. 129. ad Dardan. n Idem Ep. 126. ad Evangelium.

Postquam hæc Epistolam S. Paulo tribuendam satis aperte probavimus, an inspirata, seu canonica sit, facile est pronunciare. S. Paulum Authorem spiritus Sancti lumine persusum, nemo unquam negavit; qui verò canonicam hujus Epistolæ auctoritatem oppugnant, eo ducuntur, vel quòd Pauli non esse defendant, ut Ariani (r), vel quòd Marcionitæ (t). S. Clementem Papam, cui eam nonnulli tribuere, inter Divinos & inspiratos Authores Ecclesia nunquam recensuit. Sententia, quæ S. Lucae, seu Barnabæ eam adscribit, nullo argumento valide probatur. Si igitur hæc ad Hebræos Epistola ab Apostolo contexta fuit, ut luce clarius ostendimus, & inspirata ducenda est, & Divinæ Auctoritatis habenda.

Ad hæc canonicam auctoritatem, quam veluti intrinsicam appellamus, potissimum Patrum testimonium, & unanimes Ecclesiæ consensus accedit. Græci semper, Latini verò à quarto & quinto sæculo veluti canonicam exceperunt. S. Clementis Alexandrini (u), Origenes (x), Eusebius (y), Dionysii Alexandrini, & Concilii Antiocheni ad Paulum Samosatenum Epistolæ, Alexandri Alexandrini ad Concilium Constantinopolitanum Epistola [z], S. Athanasius (a), S. Cyrillus Hierosolymitanus (b), Concilii Laodiceni canon sexagesimus, S. Epiphanius [c], S. Basilii (d), S. Gregorius Nazianzenus (e), S. Gregorius Nyssenus [f], S. Amphilocheus (g), S. Gregorius Thaumaturgus (h), Titus Bostrensis (i), S. Ephrem (k), & alii canonicam & Divinam & exceperunt, & allegarunt, & Hæreticorum notâ eamdem rejicientes inuferunt.

Theodoretus (l) veteres increpat, quòd hæc Epistolam rejicerent contra Ecclesiâ, quæ suâ jam ætate veluti S. Pauli factum agnoverat, auctoritatem, & contra ipsum Eusebii testimonium, qui veluti à Paulo exarata & canonicam eamdem jam allegaverat, quamvis hunc suorum dogmatum Patronum appellarent. S. Hieronymus hæc habet: Illud nostris dicendum est, inquit Hieronymus (m), hæc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientalibus, sed ab omnibus retrâ Ecclesiis, & Græci sermonis Scripioribus quasi Pauli Apostoli suscipi. Et alibi etiam absolute ait (n): Epistolam ad Hebræos omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum.

Diutius equidem Latina Ecclesia remperpendit, & serius Paulum ejus Authorem agnovit, & inter canonicas eamdem recensuit. Eusebii Cæsariensis, Hieronymi, Augustini, Philastrii, Isidori Hispalensis, & Rabani Mauri eâ de re

sententiam supra attulimus. Cajus Ecclesiæ Romanæ Presbyter, anno 210. Pontifice Zephyrino regnante, Romæ discipulans, omisâ Epistolâ ad Hebræos, cæteras Pauli tresdecim tantum enumerat. Author Commentarii in Apocalypsim sub nomine S. Victorini, nihil habet de Epistolâ ad Hebræos. Hilarius Diaconus, & Pelagius, qui Apostoli Epistolas interpretati sunt, hæc ad Hebræos prætermisere. Neque Cyprianus, neque priorum trium sæculorum Patres eam unquam produciunt; Eusebius verò suâ adhuc ætate à pluribus Ecclesiis veluti à Paulo alienam testatur (o).

S. Hieronymus inter Canonicas Scripturas à Latinis Ecclesiis non recenseri solitam affirmat (p): Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas &c. Alibi etiam (q): Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebræos à plerisque extra numerum ponitur. Et alibi [r]: Eam Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipit. Alibi demum (s): De monte hoc (Sion), & de hac Civitate (Jerusalem) & Apostolus Paulus, si tamen in suscipienda Epistolâ (ad Hebræos) Græcorum auctoritatem Latina lingua non respuit &c. D. Augustini ætate ab ea inter Canonicas recensendâ abstinere, quòd Pauli salutationem ei præpositam non inventirent (t). Unde nonnulli eam in Canonem Scripturarum recipere timerunt. Quo etiam S. Doctore teste, plerique Paulum ejus Authorem esse, nonnulli verò non esse, defendebant [u]. Quamplures Apostoli Pauli esse dicunt; quidam verò negant.

Augustinus nihilominus in Libris de Doctrinâ Christianâ (x) quatuordecim Pauli Epistolas enumerat, adedque inter cæteras, quarum nullam discrimen, hæc etiam recenset, eamque veluti canonicam ubique allegat; quam & Carthaginense Concilium (y) Librorum Sacrorum Catalogo insertam exhibet. S. Hieronymus, qui ei quandoque parum favere videtur, eam sæpè tanquam Scripturam Sacram laudat, & in Epistolâ ad Dardanum veterum potius, quàm Latinorum quorundam eam respicientium, auctoritati adherens, se veluti canonicam excipere profitetur (z): Nos tamen utraque (Apocalypsim, & Epistolam ad Hebræos) suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scripiorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimonio, non ut interdum de apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Apostolicis.

A quarto & quinto sæculo tanquam Pauli & canonicam à Latinis Patribus sæpissime allegatam scimus, videlicet à S. Hilario (a), Lucifero Calaritano (b), S. Ambrosio (c), Rufino (d), Salviano (e), Cassiano, Innocentio I. in Epistolâ ad Exuperium, Hilario Diacono, seu Ambrosiastro in secundam Epistolam ad Titum cap. 1. Phabadio (f), Victorino [g], & demum à cæteris, quos ad Latinorum Patrum eam tanquam Pauli excipientium Traditionem comprobendam, paulò ante

o. Euseb. l. 6. c. 20. hist. Eccl. p. Hier. Ep. 129. ad Dardan. q. Idem Ep. 103. ad Paulin. r. Hier. Comment. in Isai. 8. s. In Zachar. 8. t. Aug. Exposit. inboata in Ep. ad Rom. n. 11. u. Aug. l. 16. de Civit. Dei c. 22. x. Aug. de Doctr. Christ. l. 2. c. 8. y. Concil. Carthag. l. 1. c. 27. z. Hier. Ep. 129. ad Dardan. a. Hilari. l. 4. de Trinit. p. 21. b. Lucif. Calar. de non conveniendo cum hereticis. c. Ambros. de fide ad Gratian. l. 1. c. 4. &c. d. Rufin. Exposit. Symbol. apud Cyprian. e. Salvian. l. 4. ad Eccles. Catholic. f. Cassian. col. lat. 1. c. 14. g. Phabad. lib. contr. Arianos. h. Victorin. Afer adversus alium l. 1. c. 2. & tract. de Honorif.

i. Iren. l. 2. c. 55. & l. 4. c. 21. 24. k. Tertull. contr. Judæos c. 2. & contr. Marcion. l. 1. c. 8. & de Pudicit. c. 10. l. Hieronym. ad Dardan. Ep. 129. m. Apud Phot. Cod. 232. n. Hebr. 7. 1. 2. 3. &c. o. Hebr. 5. 11. p. Hier. ad Eozgr. seu ad Evangelium. q. Idem Ep. 103. ad Paulin. r. Hier. Comment. in Isai. 8. s. In Zachar. 8. t. Aug. Exposit. inboata in Ep. ad Rom. n. 11. u. Aug. l. 16. de Civit. Dei c. 22. x. Aug. de Doctr. Christ. l. 2. c. 8. y. Concil. Carthag. l. 1. c. 27. z. Hier. Ep. 129. ad Dardan. a. Hilari. l. 4. de Trinit. p. 21. b. Lucif. Calar. de non conveniendo cum hereticis. c. Ambros. de fide ad Gratian. l. 1. c. 4. &c. d. Rufin. Exposit. Symbol. apud Cyprian. e. Salvian. l. 4. ad Eccles. Catholic. f. Cassian. col. lat. 1. c. 14. g. Phabad. lib. contr. Arianos. h. Victorin. Afer adversus alium l. 1. c. 2. & tract. de Honorif.

recensuimus. Concilia etiam, Mss. & Ecclesiæ Latinæ Scripiorum in Scripturarum Canonicarum Catalogis, quos exhibent, quatuordecim Pauli Epistola enumerant. Latini priorum etiam sæculorum Authores non defuere, qui hæc veluti Divinam produxerunt. S. Clemens Papa in suis sæpè Operibus & phrasibus, & ejus loca interserit, quamvis ejusdem Authorem non prodit. S. Irenæus in Libris contra hæreses ejus auctoritatem adhibet (i). Tertullianus (k) eamdem allegat, quamvis alibi S. Barnabæ adscribat. Novatianus in Libro de Trinitate cap. 15. ejusdem testimonium producit. Hieronymus (l) à Veteribus Latinis exceptam insinuat, cum Veterum auctoritati inherens, quid sibi velint Recentiores, eam se suscipere profiteatur: Nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scripiorum auctoritatem sequentes. Stephanus Gobar ab his (m), qui Epistolam ad Hebræos receperunt, Hippolytum & Irenæum tantummodò excipit; & inter eos, qui Apostolum ejus esse Authorem agnovere, S. Clementem Papam, & Eusebium recenset. Cæterum ab Irenæo tanquam canonicam allegari paulò ante meminimus. Ipsi Ariani in hæresis exordio eam minime rejecerant; Marcion denique ejus Authorem Paulum non negavit, sed ab aliis vitiatam censuit.

Novatianorum hæresim, quæ sub tertii sæculi exitum irreperere cœperat, in causâ esse credimus, quòd Latina Ecclesia ab hac Epistolâ inter Canonicas recensendâ tandiu abstinerit; cum enim Hæretici illi quibusdam ejus locis [n] ad suos de penitentia errores comprobandos abuterentur, sapienter Ecclesia ei Epistolæ auctoritatem adjungendam non esse censuit, quam nefarii in Fidei perniciem detorquebant. Cum verò deinde Ariani sub quarti sæculi exordium in Ecclesiam irruentes, ad suas in Confubstantialitatem, & æternitatem Verbi hæreses confirmandas aliis ejusdem Epistolæ (o) locis improbe uterentur, ejus auctoritatem è re fuit silentio adhuc prætere. Marcionitas, qui secundo Ecclesiæ sæculo Italiani invaserant, eidem silentio satis contulisse Spanhemius arbitratur (p). Utcumque fuerit, illud sanè constat, quarto & quinto sæculo de Epistolâ ad Hebræos auctoritate canonicâ Latinam Ecclesiam cum Græcâ convenisse; quòd tredecim ab hinc sæculis Apostolus sine discrimine ejus Author habeatur; quòd denique eidem Apostolo vindicaverit etiam Tridentinum Concilium, à quo & inter canonicas, & inter Pauli Epistolas enumeratam scimus.

n. Vid. Hebr. 6. 4. & 6. & 10. 25. 27. & 12. 15. 16. 17. o. Hebr. 1. 3. 4. & 3. 2. p. Spanhem. de Auctor. Ep. ad Hebr. part. 1. c. 8. art. 11. 12. 13. 14. r. c. 5. n. 3. Abul. Cajet. e. Epiphani. hæref. 55. c. 2. roib

DISSERTATIO DE MELCHISEDECHO.

Præclari aded tantique sunt characteres, quibus S. Paulus in suâ ad Hebræos Epistolâ Melchisedechum (a) decorat, adeoque sibi mutuo adversari videntur, ut ipse Apostolus de eo discerendi difficultatem fateatur, quamvis Hebræos Scripturarum peritos, & methaphoricas Synagoga Doctorem explanationes audire solitos, alloqueretur (b): De quo nobis grandis sermo, & in interpretabilis ad dicendum. Quibus Apostoli verbis, & rei magnitudine, & difficultate Hieronymus territus, à verbis de eo facienda omnino abstinet, semperque abstulisset, nisi nimis Evagrii amici sui precibus, ut quidquam effaretur, tandem adductus fuisset [c]. Alii verò Critici (d), postquam de Melchisedecho hucusque prodita, satis expenderit, rem multam adhuc abesse, ut è tenebris omnino emergat, enunciant. Sibi denique mutuo adversantium de Melchisedecho opinionum varietas nil nisi remin dies capti difficultorem fieri ostendit.

Orientales & Græci fabulis addidissimi quendam Melchisedechi genealogiam effodiunt, per quam & avorum, & Parentum nomina produciunt. Cum verò mendacium per sui ipsius oppugnationem sæpè corrumpat, alii hoc, alii illo modo eamdem genealogiam intexunt. Hi Ægyptium, illi Chananaum, alii Assyrium Melchisedechum statuunt. Plures cum Patriarchâ Sem, plures cum Cham, plures etiam cum Enoch confundunt. Sunt qui Angelum, qui Divinam Virtutem, qui Spiritum Sanctum, qui denique ipsum Dei Filium constituant. Nonnulli à Phaleg Heber filio ejus originem ducunt; nonnulli cujusdam Prædamitarum stirpis Genitorem appellant; alii tandem, ut Paulum, qui absque patre, absque matre, absque genealogiâ Melchisedechum asseruit, interpretentur, ex humili & pudendâ progenie ortum censent; neque desunt, qui nothum seu non legitimum defendant.

Varias has sententias, & earum præcipua argumenta hinc modò exhibebimus; & ubi, quæ omnino absurda sunt, rejecerimus, quæ majorem veri speciem præferunt, producemus.

S. Epiphanius ætate fuerunt, qui parentes Melchisedechi, certis nominibus designarent (e), Herculem nempe, sive Hebraicam patrem illius, matrem verò Abrahæ

f In Genes. 9.

reth, five Aharim appellantes. Catena Arabica (f) eius genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans, Heraclim five Heraclim patrem Melchisedechi, filium Phaleg filii Heber, seu veriùs Phaleg nepotem, & Heber filium facit; matrem verò, quam Salathiel appellat, filiam statuit Gomer filii Japhet, filii Noe.

g Ben. Gorion. l. 6. c. 31. h Vid. Basnag. t. 7. c. 7. Edit. Paris.

Josephus (g) Gorionides, Hebraeus Scriptor circa undecimum saeculum (h), Melchisedech alterum nomen, Johoram nempe, seu Joram inducit, fidusque ejus ortui praesidens Sedech (Planeta est Jovis) appellat; Urbem verò, cui praerat, primum Jebus, dein Sedech, (unde nomen Melchisedech, seu Regis Sedech) postea Salem nominatam, testatur. Inanibus his refutandis non immoramur: satis sit ea proferre, ut eorumdem vanitas dignoscatur.

i Glycas Anal. p. 135. k Cedren. l. 1. p. 27. l Simon Logoth. apud Cang. ad Chronit. Pasch. p. 500.

Michael Glycas (i), Georgius Cedrenus (k), & alii (l) Melchisedechum ex Aegypto derivant, cui patrem tribuunt Sidonem, seu Sidam, urbis Sidonis conditorem, & filium Regis Aegypti. Illum verò addunt in monte Sion urbem Salem adificasse, atque post exactos in virtutibus exercendis, & Virginitate colenda tredecim imperii annos, sine liberis obiisse. Idcirco, subdit Cedrenus, à S. Paulo sine patre, sine matre, & sine genealogia appellatur; quòd ex electa progenie ortum non duxerit, quòd ejus parentes improbi fuerint, quòd & ipse in Chanaaniticis regionibus imperaverit.

m Suidas in Melchised.

Suidas (m) ex eadem, uti credimus, fonte, quae praefati Authores, nempe ex Libris apocryphis, Melchisedechi ortum exhaust. Hunc Dei Sacerdotem, Chanaanorum Regem, in monte Sion urbis Salem (urbis nempe pacis) conditorem, statuit, & post Regni tredecim annos, ne ducta quidem uxore, vita excessisse tradit: quòd denique ex Chanaanorum improbo genere prodierit, ejus genealogiam à Scriptura praetermitti testatur.

n Apud Athanas. tom. 3. pag. 239. nov. Edit.

Cedo hic historiolum (n), seu veriùs fabellam depromptam ab incognito Authore Graeco, & quidem vetustissimo, cum in Mss. à septem retro saeculis exaratis occurrat. Idem Author ut auctoritatem operi suo adjungat, Athanasii pomine, tanti quidem Doctòris injurià, temerè inscribitur. Regina quaedam, Salem appellata, in Urbe ejusdem nominis imperans, filium Salaad peperit. Salaad ab uxore accepit Melchi; qui deinde Salem ducta, duos filios genuit, majorem natu Melchi, juniorem Melchisedech. Cum autem Melchi utriusque pater Diis (erat enim Ethnicus) immolare statuisset, Melchisedech filium septem bobus seligendis misit. Paruit ille; sed inter eundem Divino lumine illustratus, vacuus ad Patrem rediit, cui etiam Idololatriae vanitatem exprobravit. His dictis offensus Melchi, filium ad quaerendas iterum victimas misit. Interim Salem uxorem allocutus è suis filiis alterum Diis omnino immolandum esse asseruit; quare majorem natu Melchi sortitò eductum sacrificio destinavit. Tres

supra quingentos filios eorum patres, & tercentos matres, aliaque innumeras victimas una cum Filio Regis maestasdas ultrò obtulerunt. Redux Melchisedech, cum tantum facinus ferre non posset, in montem Tabor se recepit, ibique à Deo flagitavit, ut terra dehiscens omnes, qui ad Idolorum Templum convenerant, absorberet. Quare non modò Templum, sed & urbs ipsa & omnes incolae repentino telluris ex concussione hiati absorpti sunt.

Quae ut ille eò reverfus aspexit, terrore correptus, montem Thabor iterum ascendit, & opacam sylvam ingressus, ibi septennio subsistit, sine indumentis, sylvestribusque tantum fructibus pastus, rorem, quem super herbas delapsum lambabat, in potum adhibens. Interim ejus unguis ad magnitudinem palmarem creverit, comae ad usque latera descenderunt, & testacea crusta dorsi pellis incalluit. Septennio elapso, Abraham à Deo monitus virum quaesivit; quem natus vestibus fovit, atque benedictionem ab illo à Deo justius, petiit. Uterque deinde è monte descenderunt, & triduo post Melchisedech oleo Abrahamum inunxit, benedixit, nomenque Abram in Abraham commutavit. Successu temporis, Abrahamo post caelum exercitum Chodorlahomor, & federatorum regredienti occurrit Melchisedech, vini pateram offerens, in quam latenter panis frustulum iniecerat. Vinum illud non modò Abraham potui dedit, sed trecentis etiam & duodeviginti viris, qui Abrahamum comitabantur, quique trecentos & duodeviginti Niceni Concilii Patres referebant; sicut panis ille, & vinum oblationis in nostris Altaribus faciendae mysterium erant.

Si solummodò ejus novitas perpendatur, tota fabella facile corruit. Concilii Niceni veluti diu antea peracti meminit: Melchisedech Sacerdotem Altissimi in aeternum manere, Author statuerit videtur. Apud Veteres de Melchisedechi parentibus perpetuum silentium, & de eodem Pauli testimonium per se ipsum corruerit, si eorum solo verbo Scriptura meminisset. Omnes denique hujus fabellae inanes circumstantiae ejus commentum & vanitatem praefertunt.

Ad graviora nos convertamus. Author quidam (o), cujus & nunc opusculum in tertio recens excuso Augustini volumine (p), Melchisedechum non hominem fuisse, sed Spiritum Sanctum, qui specie hominis assumptà, Abrahamo se videndum obtulisset defendit.

Opusculum illud Evagrius, seu veriùs Evangelus, vel Evangelus (q), ad S. Hieronymum transmissit, ejus de eodem sententiam rogans. Cum igitur eà occasione S. Doctòr veteres Patres consulisset, deprehendit Origenem, & Didymum in ea esse sententià, ut Melchisedechum Angelum crederent: verum, inquit, S. Hypolytus, Irenaeus, Eusebius Caesariensis, Eusebius Emisenus, Apollinaris, Eustathius Antiochenus, diversis quidem verbis, sed uno sensu, virum Chananeum fuisse, &

o Is Author creditur esse Hilarius Draconus Romanus sub Liberio, postea Schismaticus Luciferianus. Bellarminus l. 1. de Sacram. c. 10. Et l. de Script. Ecclesiast. Erasmus praefat. in idem Opus, Viegas in Apocalyp. 2. Esaius in c. 7. Ep. ad Hebr. Et alii credunt hoc opus esse, quod Evangelus ad S. Hieronymum transmissit. Vid. nov. Edit. S. August. p. Quaestiones ex utroque Testamento mixtim, p. 106. 107. 108. Si milis Dei Filio non potest esse, nisi sit ejusdem naturae. Et quid incredibile videtur, si Melchisedech ut homo appareat, cum intelligatur tertia esse persona? ... Jam ambo similes esse leguntur, Et unus esse dispensationis, quia unus sunt & natura. q Vide nov. edit. S. Hieron. t. 2. p. 570. ubi dicuntur omnia MSS. habere Evangelum seu Evangelium pro Evagrius.

& Regem Salem, alio nomine Jebus, five Jerusalem, satis conveniunt. Haec utique sententia plurimos praeter ceteris nata est fautores, & magis ad veri speciem accedit. Ostendit praeterea Hieronymus, hunc Regem satis expressam Jesu Christi figuram exhibuisse, utpote qui Rex Salem, five Rex pacis esset, Rex simul & Sacerdos; Sacerdos verò in aeternum ante Legem, ut Jesu Christi Sacerdotium praefignaret. Ejus insuper Genealogiae, atque parentum in Scripturis nullam fieri mentionem, non quòd ille Dei unius manu efformatus, è caelo dilapsus esset, sed quòd in Abrahami historia recensetur, ne indicatà quidem ejus genealogia, atque obitu, vel ortu tempore. Haec omnia mysterium contegunt, quod quidem Apostolus in Epistola ad Hebraeos divinà nobis eloquentià referat.

En argumenta praecipua, quibus Auctor ille Melchisedechum Spiritum Sanctum esse convincere nitetur. 1. Melchisedech alia ab Abrahami, & humanà praestantior debuerat esse natura, cum Abraham meritis & virtute tantus vir, cum eo collatus minimus exhiberetur: Sine dubio quod minimum est à meliore benedicitur, inquit Apostolus, cum de (r) benedictione ageret, quam Abrahamo Melchisedechus impertit. Sacerdotes ordinarii sibi ipsis interdum longè justioribus benedicunt; quare Sacerdotium illud coram Deo eminentiorem virum per se ipsum minimè constituit. Cum igitur Melchisedechus neque meritis, neque justitià, neque Sacerdotio Abrahamo praestantior esse potuerit, reliquum est, ut ei naturà praestiterit. Per haec apparet Melchisedech ultra hominem esse, quia non erat, unde melior esset Abraham, nisi solà praecedat illum naturà.

* Hebr. 7. 7.

2. Melchisedechi seu principium, seu finem, seu Genealogiam, seu parentes reperire non fuit: ille neque natiuitate coepit, neque consumptus est obitu: nonne igitur Deus habendus est? 3. Utrique & juxta Apostolum, Assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum (s). Filii verò Dei similitudinem referre non potest, nisi eadem naturà potiatur. Filius itaque Dei primus Sacerdos in aeternum, Melchisedech secundus est reputandus. Filius Vicarius est atque Altissimi Sacerdos; is profectò est & Spiritus Sanctus: quamvis verò uterque per eandem naturam constituantur, Personarum ordo exposcit ut Filius ante Spiritum recensatur.

* Hebr. 7. 3.

Quibus omnibus ita occurrimus. 1. Apostolus per totam ad Hebraeos Epistolam, & hic potissimum de Melchisedechò differens, juxta tunc temporis Judaeorum morem, de Christi Sacerdotio, quod cum Sacerdotio Aaron confert, allegoricè loquitur. Quòd Melchisedech Christum, ejusque Sacerdotium referret, eum idcirco Aaron praestantior ostendit. Vel de eo meminert, vel de illo Scriptura siluit, in ejus laudem verit. Quidquid Sacri Libri de Melchisedechò praclarum ferunt, in Christo penitus adimpletur. De ejus ortu, morte, & genealogia silentium mysterio

vacuum non censetur ab ipso Apostolo, qui ad Melchisedechum, & Jesum Christum praeter Aarone efferebatur, inde argumentum derivat.

2. Ei utique, de quo explicatur, quae de Melchisedechò afferuntur, allatae rationes optimè congruunt: quae, si de alio quolibet enunciantur, omne statim robur amittunt. Quid enim convinceret, qui ita argueret: Seu Parentum, seu ortus, seu obitu Thesbite Eli Scriptura non meminit; ille est igitur aeternus, atque immortalis? Apostolus praeterea ad Fideles de Christi Divinitate, ejusque aeterno Sacerdotio jam certiores, allegoricè Scripturarum explanationibus affuetos alloquebatur, quae quidem dicendi methodus alios minimè urgeret. Melchisedechum enim Messiam exhibuisse, Messiam verò aeternum Sacerdotem esse atque immortalem, principio simul & sine prorsus immunem, Deum denique verum, verumque hominem esse si quis Ethnico enunciet, ille aenigma quoddam sibi proponi putabit, eaque omnia sibi perspicue probentur exposcet. Apostolus verò eos, quos alloquebatur, de his omnibus optimè confcios norat.

3. Benedicentem in hac saltem caeremonia eo, cui benedicitur, praestantior esse ultrò fatemur; quare hac habità ratione, Abrahamo digniorem Melchisedechum agnoscimus. Hic verò longè justioribus virtutibus, aut meritis cum Melchisedechi sanctitate collatis minimè inquirimus; sermo tantummodo sit de benedictione, quam Sancto Patriarchae Sacerdos sanctus impertit. Eà in actione Melchisedechum Abrahamo majorem inficiatur nemo. Hinc verò alterius fuisse naturae, induci non potest, quin plus aequo ratiocinatio Apostoli protrahatur. Allegorica autem argumenta nimium nunquam investiganda.

4. Similitudo, qua Melchisedechus Dei Filium refert, non naturam afficit, sed Sacerdotium. Hic Pauli mens fuit, neque fertur ulterius. Spiritus Sanctus nunquam Sacerdos à Scriptura appellatur, nunquam per hominis speciem se Patriarchis videntum exhibuisse, nunquam Abrahamo impertisse benedictionem, nunquam ab eo decimas accepisse, nunquam tandem in Salem imperasse narratur. Haec omnia verò atque historice de homine referuntur. Apostolus utique non Trinitatis Personam, sed hominem cum Christo comparat. Haec omnis Veteris Testamenti cum Novo collati oeconomia, ut scilicet persona aliqua constituat in figuram Messiae & ejusdem ad eundem Messiam relatio instituat. Hic de Christo explicandus occurrit Melchisedech, alibi verò vel Isaac, vel Moyses, seu David, Sampson, Salomon. Paulus denique hic (*) Filio Dei assimilatum Melchisedechum asserit, adeoque eodem posteriori statuit; omnino igitur absonum, quòd Melchisedechus Spiritus Sanctus habeatur; is enim consubstantialis Filio est, coaeternus, & prorsus aequalis.

* Hebr. 7. 3.

Theodotus Trapezita, Theodoti Coriarii Discipulus, tertio in eunte saeculo, haeresim Melchisedechianorum invenit (t). Hanc

t Theodoretus haeret. fabul. l. 2. c. 6.

M m se.